



# A P P E N D I X

## *De Lue Venerea,*

**Q**uandoquidem omnium penè Morborum Humano Corpori variè officientium Historiam & Curam ementi simus, Reliquum est ut de Lue Venerea ( Famigera- to illo affectu, ) pauca subjungamus; quo facto, libellum hunc ad extremam metam perducemus.

Non est quod Lectori tædium moveamus in morbi hujus primo ortu, origine, nominibus variis, Speciebus Multifariis, ab ovo recensendis. Nobis enim nec lubet, nec vacat diffusa illa veterum scripta, ad Genealogiam ejusdem expiscandam, evol- vere: quorum *molliter ossa jacent*. Cui animus est hæc addiscere, satis prostat Authorum: Nos bre- vitati studemus, & limites propositos neutiquam transgredi decrevimus. Quod ad institutum nostrum facit, nos *Gonorrhæam* & confirmatam *Luem Veneream* breviter delineabimus.

1. Lues Venerea est fermentum Venenatum & dis- positio prava orta à contactu Venereo, Vapores mali- gnos & miasma virulenta producente; quæ semel in- trò recepta Substantias liquidas alias bonas & laudabi- les, quibus commiscetur, corrumpunt, vitiant, & inquinant: undè functionibus naturalibus impedimen- to sunt, & continui solutionem confestim producant;

par-



partes vellicant & dolore afficiunt, adeo ut Ulcera & omnia quaecumque Symptomata huic morbo peculiaria exinde oriantur.

2. *Signa.* *Gonorrhœa* dignoscitur ex dolore acri urente, inter meiendum, pene ardente & Tumore affecto cum dolore intenso; venit enim quod spatio paucorum dierum ( forsitan horarum ) Vapores virulenti, vitiati, & inquinati fermentum quoddam depravatam in Pene existens, & Salia fermenti maxime aculeata & penetrantia, virulentia suæ acris effurentis, ulcus quoddam minutum, imò & ulcera, in Urethra Producent; spongiosam ejus partem penetrantia; unde dolor vellicans & pruritus quidam per integram Urethram & Perinæum sentitur; unde etiam subsequitur involuntaria Penis erectio, semen etiam à vesiculis seminalibus sua acrimonia eliciunt. Hæc autem Salia ignita; acria & vellicantia, & Miasmata illa Virulenta, semini commixta, Ulcera seu Pustulas illas producent; vehementer etiam stimulant, & ex innata sibi contrarietate functionibus animalibus virulentam Gonorrhœam producent; unde sequitur totius corporis hebetudo, dolor in Tibiis & Brachiis, Liquor è Pene extillat primo viscidior, postea flavus, purulentus, & virescens quæ materia purulenta, mucosa & ulcerosa, paucis solummodo diebus neglecta, partes *Virgæ* membranosas & alia adiacentes pervadit, & Ulcera varii Generis virulenta gignit, quæ prostatas & Vesiculas seminales in consensum trahunt; & nisi maturè & cum judicio tractentur, spatio paucarum hebdomadum integrum corpus inficiunt. Et hoc pacto morbus in *Luem confirmatam* degenerat; in qua adsunt Dolor Lumborum & Dorsi, Femorum stupor & frigus, dolores vagi integrum corpus pererrantes, cutis maculis cæruleis, rubris, flavis, defædata; malignitas partes principales, Hepar, Lienem, &c. invadens, facultatem nutritivam depravat, sanguinem generat pravum, & particulis adustis redundantem, unde ignitus ( quasi ) salitus, & vellicans evadit Temperamentum & externa Cutis superficies insalubrem & obfuscum colorem præ se fert,  
Por-



Porrigines & Ulcera scabiosa comparent in Capite, Facie, Faucibus, Palato, & Naso, os Cribrosum & Cristam Galli carie absumens; Dolore Capitis, inveterati, Dolores Nocturni Vehementes, præcipue (dum calido in lecto decumbunt) in Cruribus, Carpis, & Humeris; Articulorum etiam dolores, Tubera perdura in Cranio, Brachiis & ossibus Tibiarum, Tumores duri Schirrofi, Callositates, & ipsa ossa præ carie in excrescentias attolluntur.

3. *Causa*. Inter Authores multum disceptatur, in causa fordidi hujus affectus assignanda; dum enim in varias eunt sententias, quidam in unius, quidam in alterius verba jurant. Nostram opinionem sine furo proponemus. Credimus sanè multos esse effectus naturales & mala Materialia quorum causa manifesta nemini innotescit, quo etiam sensu dicimus, causam hujus ipsius morbi adeò in occulto latere, ut positive eandem designare penes nos non sit. Conjecturam tamen facimus causam hujus morbi esse inquinamentum quoddam depravatum, ortum à putrefactione variorum & forsan discrepantium seminum injectorum in matricem impuram & defædatam copulatione nimium crebra & inopportuna, unde fermentum quoddam venenatum semini intro-recepto insinuat. Confirmatur hæc hypothesis ex eo quod Philosophi & Medici accuratissimi agnoscant nullam fieri mutationem notabilem in Corporibus naturalibus quæ fermentationi suam originem non debeat, imò & ad oculum demonstrare possumus ex fermentatione seminum humanorum, miasmata illa virulenta, particulas illas subtiles tanta vi inficiendi præditas, & salia illa maligna & colliquativa, solam esse causam luis venereæ, ut & omnium symptomatum quæ eadem comitantur.

4. *Prognostica*. Judicium non ferendum est de statu vel periculo in quo æger versatur, nisi ex diligenti observatione naturæ morbi an nempe, recens, & particularem illam partem solummodo possideat; an verò magis inveterata & consequenter magis universalis, fuerit. Dum sa-



lia hæc venerea & venenata externam solummodò superficiem occupent, nec interiorem progressum fecerint, quam mera adhæsione vel pudendis maris aut femine, vel mammis nutricum, vel Palato & ori infantum ( hæc enim loca veneni hujus communicationi maximè obnoxia sunt ) facile curantur ope medicamentum balsamicorum quibus inest vis obtundendi aciem salium quæ in Ulceribus hospitantur, undè minus penetrantia redduntur, & eorundem motui progressivo obex ponitur. Hæc enim salia corrosiva ( nisi corrigantur ) rumpunt & dilacerant pelliculas & fibras tenuioris Glandis, Præputii, & Urethræ, undè excoriationes & ulcera; quæ ( si grassari illis fas sit ( varias sibi assumunt formas, quandoque urethram, quandoque prostatas, occupant & corrodunt; undè carnositates & Fistulæ incurabiles has partes invadunt: & hoc pacto salia illa corrosiva ab exterioribus ad intimiores corporis partes viam sibi parant ( quandoque etiam ex medicorum præxi iniqua illuc accersuntur ) angusta enim arteriarum & venarum ut & glandularum ( quibus hæc partes obsessæ sunt ) orificia penetrant, & fibras etiam membranosas & nervosas pervadentes, particulis suis disproportionatis succos depravant & spiritus in confationem adigunt, qui ex deleteria quam acquisiverunt qualitate ebullitionem in sanguine cient, undè à balsamica sua natura desciscit, & particulis adustis & effervis refertur, quæ sanguinis eutioniam, & propriam cujuscumque succi nutritii crasin, penitus evertunt. Latex etiam, seu liquor serosus, multum depravatur ( ejus enim diathesis, bona vel mala, à sanguinis textura dependet ) qui cum in fermentationem vehementem, ope venenatarum harum particularum in sanguine grassantium, eVectus fuerit, impuritates & sordes venereæ ex naturæ benevolentia & facultatis expultricis nisu, in glandulas inguinis præcipitantur, ubi tumores seu bubones comparant: qui omnibus mediis ad suppurationem promovendi sunt ( maximo enim labore ad suppurationem provocantur, præ duritiæ suæ & mole magna ) quod si ritè peragitur & materia illa venenata radicitus expulsa fuerit, crisi vicem fortassis supplebit ( notandum

atta



attamen periculum esse in diuturniore ichoris fluxu, nē  
 ulcus astulosum evadat.) Si tamen bubo percussus re-  
 deat nec suppurationem admittat, certissima est luis  
 confirmatę prodromus. Particulę hę deleterię & vene-  
 natę quę ex penetrantia sua sanguini & lymphę semet-  
 ipsas commiscuerint, non semper hunc in modum præ-  
 cipitantur, sed sæpissimę serum in vasis lymphaticis &  
 aliis, corporis peripheriam & superficiem externam  
 petens, unã comitantur; ubi membranam carnosam  
 & cutem pervadunt, mediante rorido illo madore qui  
 jugiter illic appellit, undę ulcera in superficie corporis  
 creantur sordidum & saniosum ichorem jugiter evo-  
 mentia; & mador seu sudor qui per cutis poros evacua-  
 tur, infensissimo fetore impręgnatur, acerrimę sapit;  
 calore quandoque flavo, quandoque viridi præditus, &  
 nonnunquam ipsa lintea corpori instrata corrodit. Si  
 particulę hęc sali alicui fixo intricatę fuerint magis  
 torpidam induunt naturam, nec in corporis superficie  
 usque aded impigre opus suum hostile perficiunt, sed  
 cutaneas eruptiones producant, quales sunt Pustulę,  
 Carunculę perdatę, Ulcerosę, & Crustaceę, in-  
 apice nigris maculis interspersę, hujusmodi signa  
 Luem confirmatam & quã maximę exaltatam indi-  
 cant. Bubo ad interiora retrõ pedem ferens termina-  
 tur in dolores nocturnos sævissimos, & capitis dolo-  
 res laniantes & atrocissimos; exindę etiam caries os-  
 sium, Tubera, Ulcera Palati, Putrefactio Nasi & alia,  
 rum partium solidarum; quorum omnium cura difficul-  
 tatis plena est. --- si serositates hęc Venenatę & Delete-  
 rię, ex Principii Vitalis Vigore & Activitate, à Sangu-  
 ne separentur; & ex acuta, pungenti, & penetrantissi-  
 ma suã qualitate, tunicas vasorum permeent; & Ner-  
 vos & Membranas vellicent, dolores vagabundos vehe-  
 mentissimos, contractiones, contortiones, &c. produ-  
 cunt: & nisi mediante Ptyalismo eliminari & exantlari  
 nequeunt --- Si malignitas hęc, vel per adhæsionem, vel  
 per alium quemlibet casum, in partes musculares, vel  
 Periostæum aliquod incidat, & ibidem pedem figat, mi-  
 ris cruciatibus miser egrotus dilancinatur, subtiles e-  
 nim deleterię hęc particulę indefinenti suã tensione &

vel



vellicatione Cartilagine exsiccant & absumunt; ossium etiam substantiam pervadunt, & cariem & putredinem, non nisi mediante expoliatione curabilem, inducunt. ----- Symptomata hæc (si diutiùs permaneant) Convulsionibus ut & totius Machinæ interitum parant. ----- Deffenda sunt hæc Prognostica Morbi in pejus ruentis; quæ etiam ulterius variari possunt pro temperamento, sexu, ætate, viribus, negotio, & statu ægri.

5. *Cura.* Maxima cautela & iudicium adhibenda sunt in affectu hoc curando. Maxima etiam peritia & animi præsentia requiritur, in variis hujus morbi speciebus, & Symptomatis comparentibus, ritè dignoscendis & distinguendis. Nullæ enim Regulæ generales & absolutæ institui possent, quæ omnibus quibuscumque & ægroti & morbi postulatis responderent; sed quoad particularem applicationem pro maturo & subactò Medici iudicio variandæ forent.

*Cura Gonorrhæa* initium sumat à *Diureticis* congruis, *Ptisana Apertivis*; & ut inflammationibus occurratur & succurratur, *Emulsiones frigida*, *Emollientia*, *Anodyna*, & *Discutientia Cataplasmata* applicentur, si adsint tumores *Detergentia* & *Ealsamica* suas etiam vices obtinent. Pro potu ordinario *Ptisana* sequens *Apertiva* convenit.

℞. *Rad. Gramin. Petroselin. aa. ℥iij.* *Rad. Lillior. Albor. Althææ aa. lib. ij.* *Liquirit. incisa. ℥vj.* *Semin. Anis. Fænicul. aa. ℥j.* *Hordei Man. iv.* *Aq. Fontan. lib. xxx.* *f. Ptisana* singulis lib. ij. vel mensuris quas nos (*quart*) nominamus, adde, *Syrup. Rad. s. Aper. ℥j.* *Ol. Sulph. per Campan. gur. xx.* vel hujus vicem suppleat *Sal Prunell. ℥ij.* vel *Cristall. Mineral. à ℥j. ad. ℥ij.*

*Omnia Diuretica Detergentia* præcipuè adhibenda sunt. Sed de *Ptisana* hac ultimò præscripta bibat æger pro potu ordinario, idque copiose per tres aut quatuor dies, ad impuritates venereas abluendas, & salia venenata in ductibus urinariis stabulantia diluenda. ----- Si æger temperamenti sit calidi, *Emulsiones e Semin. frigidis*, cum *Sero lactis* paratæ, intercalandæ forent. Vel.

℞. *Aq. Hordei lib. ij.* *Aq. Cichor. Primul. Veris aa. lib. s.* *Seri Lactis lib. jss.* *Syr. Citr. ℥iv.* *f. Apozema* vel vice *Syrup. Citr. adhibeatur succus Limon. n. 2. cum Diacodii ℥ij.*

Condu-



Conducit leviter ægrum purgare ; nihilominus purgativum tale sit ut naturam ad virulentam & impuram illam materiam per alvum exterminandam provocet , periculum enim est in mora ne intimius penetret.

℞. Decoct. Bruner. ℥viii. Cremor. Tartar. ℥j. Foli Senn. ℥ii. Sem. Axis. Fanicul. aa. ℥ss. Infunde per noctem unam ; colaturæ adde Elix. Proprietat. gut. xx. Detur pro una Dosi. Vel,

℞. Decoct. Senn. Gereon. ℥iv. Cass. recentior Extract. ℥j. Cremor. Tartar. ℥j. Ol. Sassafr. ( commixto Saccharo resinato ) gut. vj. pro una Dosi. Vel.

℞. Bezoard. Mineral. gr. xv. Confect. Hamach. ℥ Sal. Vol. Viperar. Succin. aa. gut. iv. pro una dosi.

Cathartica autem adhibenda sunt pro ægroti necessitate & medici prudentis judicio.

Enemata Refrigerantia & Anodyna frequenter injiciantur si modo metuatur febris vel inflammatio. Si Pituitosa Apertiva præ quantitate offendat stomacho, vel ibidem stagnet sumat subinde gr. x. xv. vel xx. Sal. Volat. Viperar. vel Lumbricor. Terrestr. C. C. Succin. vel Salis Armoniac. in haustu vini Rhenani vel albi.

Lavamenta & Injections in crebro sunt usu ( postquam omnia munda & repurgata fuerint ) quæ ingredientur Refrigerantia , Anodyna , ut & Derergentia & Balsamica . Injections fiant ex Styptico Balsamicis , quæ salium penetrantium aciem obtundere valent , ut & ulcera mundificare & exsiccare , ex Balsamica etiam qualitate pellicularum & partium fibrosarum excoriationes obducere & sanare pollent. Caveas tamen no violentis Adstringentibus aut Corrosivis utaris , diros enim producut effectus .

Sub initium morbi , injectio conficiatur ex Lacte tepido , quod Syringa tenuiore injiciatur , sed leni & constanti manu ducatur. Deindè fiant ex Styptico Balsamicis. Exempl. grat.

℞. Aq. Celcis Viva tenuioris ℥viii. Aq. Plantag. ℥iv. Flor. Zinci ℥ij. Mixtura hac laventur Ulcera , quæ in Pudendis vel aliis partibus stabulantur ; & ope Syringæ injiciatur. Vel,

℞. Aq.



℥. Aq. Calc. Viv. lib. j. Sacchar. Saturn. ℥j. Vitri.  
ol. Alb. ℥j. Hoc efficaciter Ulcera detergent, &  
contagii progressui obstat. Sed si Ulcera hæc Ve-  
nerea diutius persistierint & altiores egerint radi-  
ces, & in flaviora & magis purulenta Luis Vulce-  
ra degeneraverint, vel perdura & callosa fuerint,  
nullum sperandum est levamen nisi ex usu *Escharo-  
ticorum & Suppurantium*.

Si affectus magis invaluerit, & Cardinalia Luis con-  
firmatae signa se se prodant, alia ineunda est metho-  
dus; hac tamen cautela semper adhibita, quod si ægro-  
tus macie extenuatus fuerit, & ad extremum usque  
inaniatur, cum debilitate & spirituum defectu, Diæta  
Nutrititia præscribenda est ad corpus Spiritibus re-  
plendum, & materiam suppeditandam pro salivatione  
melius sustinenda. Tempestas anni etiam consideranda  
venit, si nec in frigore nec calore excedat; quæ  
omnes circumstantiæ maximi sunt momenti, &  
quæ ( si negligantur ) in maximam ægroti perni-  
ciem cedere queant: & ægroti vitam in magno di-  
scrimine ponunt dum *Mercurialia* adhibita corpus  
exagitant. Hoc opus incumbit Medicis vitia corri-  
gere & defectus supplere, quibuscum colluctantur  
ægri si modo temperamento mediocri destituantur.  
Si tamen Salivatio promovenda sit, & interea æger  
corpus crassis & impuris sæditatibus repletum fue-  
rit, & Plæthorico sit temperamento, non inconsultum  
foret venam secare, & levius purgare, quod bis vel  
ter repetatur; vel quoties pro Medici arbitrio expedi-  
re visum fuerit. Cursus etiam Diæteticus imperandus  
est ex Alimento & potu exsiccantibus. *Sudorifera* etiam  
in temperamentis humido melancholicis conducere  
ad humores coagulatos dissolvendos, & ad corporis po-  
ros & partes intranspirationem disponendas. Ex. gr.

℥. Trochisc. Aiperar. ℥ss. Antimon. Diaphor. ℥j. Be-  
zoard. Mineral. Sal. C. C. aa. gr. vj. cum s. q. The-  
riaca Androm. s. bolus pro una dosi. Vel.

℥. Bezoard. Mineral. gr. vj. Pulv. Rad. Serpent.  
Virginian. ℥j. Cinnab. Antimon. ℥j. Sal. Viperar. gr.  
ij. Diascord. q. s. fiat bolus. Hæc aut his similia exhi-  
benda



da sunt à purgatione, ac corpora humida, pituitosa & melancholica pro salivationis operè faciliùs peragenda, præparanda.

Cum decretum fuerit salivationem aggredi, medico incumbit ritè distinguere quo pacto cum maximo ægri commodo promovenda fuerit. Si possibile sit, præstat Salivationem excitare ex Mercurialibus ore assumptis, hoc enim pacto certiores nosmetipsos facimus de quantitate assumpta, an suffecerit, necne; minus etiam adest periculi & molestiæ in hac Ptyalismum excitandi methodo, quam in alia quæ per unctionem fit. Maxima tamen cum vigilantia attendenda est assumpti operatio, & cum semel inceperit salivatio, facilè est eandem eveheru ad quem gradum libitum fuerit, semper ratione habita status & virium ægroti; &, nisi contraindicantia prohibeant, non priùs cesset salivatio, quam omnia disparuerint Symptomata. Novimus satis multos esse Medicos, eosque non infimæ sortis, qui asserant Ptyalismum ex Mercurio intus assumpto excitatum non tam efficaciter morbum dispellere, quam si ex unctione externa promoveretur: Cujus asserti Veritatem in controversiam nunc non reducam; hoc tamen pro comperito habeo Luem confirmatam sæpè sæpius maximo cum successu curatam fuisse ex usu Mercurii interno, sine ullo unctionis interventu. Proindè, in ordinatione ad Salivationem promovendam.

℞. *Mercur. dulc. sublimat. gr. xxx. Cinnabar. Antim. ℥j. Opobalsam. ℥j.* fiat Bolus.

Subsequenti nocte sumat *Mercur. Dulc. gr. xxx.* in *Conserv. Ros. Rubr.* ---- Æger frigori non exponendus, sed in calido cubiculo retinendus est. ---- Sequenti denique nocte exhibeantur hæc *Pillula.*

℞. *Mercur. Dulc. gr. xx. Turpet h. Mineral. gr. vj.* Cum pulpa panis similaginei fiant *Pillulæ.*

Hæc tamen Mercurii quantitas non omnibus permittenda est, immo paucis sanè, plurimi enim tantam quantitatem sustinere nequeunt.

Si magis arrideat inungendo Ptyalismum evehere, hic insistendum est methodo; nempe.

Mer-



Mercurium à sublimata corrosiva qualitate vindicamus ope Alkalium Calc. & Tart., undè ab omnibuscumque Mineralibus & Salinis Recrementis perfectè depuratur. Deindè lavamus spiritu vini usque donec nullæ præcipitentur fèces. Proinde.

℞. Mercur. hunc in modum depurati ℥iv. Axung. Porcin. ℥viij. Antimon. subtiliss. pulveris. ℥vj. Ol. Laur. ℥j. Unguent. Ros. ℥viij. f. Unguentum. Cujus ℥ij. inungantur crura & tabiæ, à talis ad genua, & brachia, à carpis manuum ad humeros; tantillum etiam inungatur spina dorsi; sufficit hoc pro primo die. Deindè die sequenti ℞. dicti unguenti ℥iv. quibus inungantur tibiæ, femora, & ipsa spina dorsi ab osso sacro ad vertebrae colli, brachia etiam à carpis manuum ad omoplatas; & si temperamento sit robusto, emunctoria etiam glandulosa. Inunctio continuanda est donec signa expectata comparuerint; maxima tamen cum perspicacia & animi præsentia animadvertendum est, immò potius tardius quam nimium festinanter precedendum est, ne inopinata Mercurii activitas ex improvise aegrum adoriatur. Vidi quandoque in corpore non usque adedè delicatulo emotionem excitatam à prima inunctione post inunctionem bis terve peractam, paululum sistendum est: & si ex unius diei intervallo nulla appareant Ptyalismis præcedanea, exhibeatur dosis permodica Sublimat. Dulc. ex cuius usu vidi quandoque salivationem copiosissimam excitatam fuisse; & si fortè salivatio languidior evaserit idem medicamen ad dosin unam eamque permodicam assumptum, eandem denuo restituet. Quod ad tempus salivationis attinet, eo usque duret donec symptomata disparuerint, nisi ægri vires prostratæ contrarium indicent. Cum salivationem sistere animus fuerit, exhibeantur Alkalia vel Flor. Sulphur. (quæ Mercur. deorsum præcipitant) quæ vel per se sola usurpentur, vel unà cum Purgativis tenuioribus quæ etiam de Diureticorum natura participare debent.

Signa Ptyalismum advenientem præcedentia sunt,  
de-



defectus Appetitus, Ardor Uvulæ & Palati, Dentium Vacillatio, Gingivarum Intumescencia, Spiritus seu Halitus fetens, Torpor & Hebetudo sine Somno, &c. Deindè fluere incipit aqua quædam pituitosa & albescens, cuius quantitas augetur per 6. 7. vel 8. dies; aliquando diutiùs, ad 5. 6. aut 7. lib. unius diei & noctis spatio. Si fluxus nimium sit vehemens, ex nimia unguenti inunctione, obstanda sunt Symptomata huiusmodi fluxum comitantia, ope *Potionis Laxativæ*: cavendum tamen ne fluxus in aliam ruat Portam, ex Laxativo adhibito.

Si Acrimonia Corrosiva materiæ fluentis Ulcera in Palato & Faucibus producat, undè extrema anxietas & molestia oritur, proluantur Gargarismate aliquo leniente ex *Lacte & Aqua part. equal.* confecta, vel *Decocto Sero Lactis, & Semin. Psyll.* Si ulcera impura sint & corruptæ partes iisdem adherent, abluenda sunt mixtura ex *Oleo Sulob. per Campan. & Spirit. Vini.*

Enemata etiam refrigerantia & humectantia sæpiùs exhibeantur, si postulet occasio; fiant autem ex *Decoct. Salvia Rut. Fœnicul. Endiv. Cichor.* cum *Melle* --- vel ex *Jusculo Pullerum* --- vel *Sero Lactis*. Quæ torminibus ventris, ex acrimonia humorum deorsum vergentium oriri solent, efficaciter obstant.

Regulæ quæ *Dietam* spectant variæ sunt, pro vario ægroti temperamento. Liquidiora præstant; alimenta talia sint quæ naturam sustinere valent; ova 2. recentia pro prandio, & iuscula confecta ex carne vitulina, bubula, vel pullinacea, cum *Cichoreo*, de quibus bibat singulis 3. vel 4. horis. Potus etiam nutritivus concedi possent. Sed eligantur tales, qui bonum licet modica quantitate, nutrimentum suppeditant. Si æger temperamento sit calido, tempore salivationis exhibeantur *Posseta Refrigerantia, Panatella* etiam tenuis, & *Aqua Hordei*. Quod ad formulas præscribendi attinet, illæ regulandæ sunt pro natura Indicantium quæ se produnt. Hoc semper memoriæ tenendum est Pectore, naturam à sub-



181

APPENDIX.

bitis & violentis motibus abhorre, proinde Salivatio cum satis evecta fuerit, & omnia disparuerint Symptomata, gradatim (secundum methodum hactenus præscriptam) sistenda est, si natura sua sponte eandem determinare satagat. Alimenta etiam nutritiva majori quantitate sub finem indulgenda sunt, ut ægrotus vires amissas recuperet.

Licet Salivatio ritè & sub peritissimorum ductu peracta fuerit, non raro attamen remanent impuræ quædam fordes & recrementa, quæ (prout vires suppetant) eliminanda sunt ope Cathartorum, Diuretic. Balsamic. & Cardiac. Diaphoret. Incumbit etiam medico, ægroto injungere (à Salivatione) potum quemdam Diciteticum per dies 20. aut 30. continuandum. Intercalato purgativo, quoque sexto die, & Diaphoretico, quoque quarto, si vires permittant. Ex. gr.

℞. Rasur. Lign. Guajac. Cortic. ejusd. bene contrus. ℥i. Salsaparill. ℥vj. Chin. ℥iv. Saffaph. Liquirit. aa. ℥ij. Radic. & Cort. Mezeron. ℥i. Bacc. Juniper. Sem. Fanicul. Dulc. aa. ℥ij. Lign. Rodii ℥i. Santal. Omn. ℥i. Aq. Fontan. lib. xvj. Coque ad Medias, de quo bibat æger lib. ij. singulis diebus, & si unicuique Lagenæ addantur Tincturæ alicujus Metallinæ aut Mineralis gut. xx. mira efficacia præditum est in viribus corroborandis, & perfecta denique sanitate denud restituenda.

Methodus hæc perraro curam non consequitur; hoc tamen quandoque evenit, quod si os materia subtili venenata pertingatur, (licet reliqua disparuerint symptomata) tamen numquam curabitur donec pars affecta dilatetur, & os denudetur & ope caustici actualis exfoliatio promoveatur, sive cranium, sive brachia, sive tibiæ, sive ullum aliud os, afficiantur. Hæc methodus omnibus aliis expeditior & tutior est. Pulveres detergentes & exsiccentes ritè applicati os denud ad naturalem statum reducent. Cum denique omnia munda & pura apparent, gradatim denud obducatur (sed si continuetur

afflu-



102 APPENDIX. De Lue Venerea.

affluxus materiae, ne nimis praepostere ad obductionem procedatur) multi sunt de aegrotis qui ossium denudationem aegre ferunt, necessitas attamen dura est magistra, & delicatulos, si sanitati suae consulere velint, ad refugium hoc absolute necessarium tandem consurgere cogit.

Siquidem Caput hoc de Lue Venerea ad Umbilicum perduximus, nihil restat nisi ut Tractatui huic de Morborum natura & cura extremam admoveamus manum, & Lectori Vale dicamus. Interea autem ne hoc Lector ignoret multa alia nobis suppetere Remedia, ab hic praescriptis, discrepantia, quae majori cum efficacia & successu, plerosque morbos dispellunt, sed hac omnibus nota facere vix expedit, sufficit tamen quod Remedia in hoc Libello memorata omnibus vulgaris palmam praeipiant, & sapissime bono cum successu usurpantur. Si qua sint magis Chymicis quam aliis familiaria, quae non facile comparari possunt: haberi possunt omnia ad nostras ades, ut & apud Gulielm. Russel, M. D. in ista platea, quae vulgo dicta Barbican, Vel Eduardum Wright, Med. Chym. in VVinchestrestreet: Vel, Franc. Moul, Chym. in Watling-street, Viros Arte Chymica longè Versatissimos.

F I N I S.



Om  
m  
ra  
u-  
m  
  
m  
r-  
2,  
or  
en  
ca  
da  
n  
i-  
si  
ad  
n  
m  
s  
e



